



176

358, 2





DIATRIBARUM  
DOMESTICARUM  
DECAS III.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi Jctorum Ordinis  
in Academia Salana,

PRÆSIDE

JOHANNESCHRÖTERO,  
OSTERBURGO-MARCHCO,

DEFENDERE CONABITUR

JUSTUS N & J S S E N B & N O/  
HEGERA-NASSOVIVS.

Ad diem 4. Novembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.





ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO  
COMITI AC DOMINO, DOMINO

GULIELMO

COMITI IN

SEYN, WITTGENSTEIN,

ET HOMBURG, LITERARUM

LITERATORUMQUE MOECENATI MAGNI-  
FICO & MUNIFICO, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Sal. & humillimi animi obsequium.

**H**As questionum Juris in hortulo  
Qui fragat istis semper odoribus,  
Lectas virente flore, felix  
Accipe magne Comes, corollas.

Debentur ille primitie tibi

SALANA nobis inclyt a quas dedit

E Juris intimo recessu:

Nam pietas tua nota cunctis

Laudem meretur nominis & decus,

Et clara virtus munera postulat

Qua laude plurima triumphas  
Et patrie reparas ruinas,  
Hac macte digna laudis adorea  
Ut sis futuri gloria seculi!  
Faventiaeq; sparge flores  
Tempus in omne serenioris.  
Sic te faventis gratia Numinis  
Multos in annos sospitet & genus  
Seynense; patrias ut oras  
Fama vehat nitidos sub orbes.

V. Generositatis

humillimus cliens

Justus Keiffenberg  
Pon. JENÆ.






# In Disputationem de Fructibus.

**U**STE, peroptatos animis sic excute fructus,  
Percipies fructus fœnore, **J**USTE tuos.  
Quosnam? **J**ustitia tibi tradet Apollo coro-  
nam.

*Sic benè: **J**USTITIAM qui colit, ille sapit.*

M. Thomas Sagittarius  
Prof. Public.



Præstantis. atque Politis. DN.

## **R E S P O N D E N T I.**

**U**ste, Novensiliū non segnis alumne sororū,  
Et flos legiferæ non temerande Deæ:  
Huc ades, & mecum sancti penetralia Juris  
Lustra, nam Themidos porta reclusa patet


Dux e-





Dux ero, tu comes esto, Ducis vestigia fidi  
 Subsequere haud vacuus mî rediturus eris.  
 Sunt hic insignes, quos possis carpere fructus,  
 Sunt hic quæ possis munera ferre domum.  
 Sed falebrofa via est, sudori parcere noli,  
 Sudorem magno pensat honore Themis.


*Joh. Schröterus Praeses.*




DN. JUSTO KEZSENBEINER  
 de Fructibus disputanti.

**U** qui maturo de fructu differis, annon,  
 Quò fructum ingenii testificère, facis?  
 Scilicet ad nomen vera est allusio, JUSTE.  
 Publica fac videat te cathedra illa. Sapis.  
 Imperti reliquis, quo tu bene doctus abundas.  
 Sic, quem vis, verè te comitetur honos!

Matthæ. Zuber /  
 P. L. Meliss.







# DIATRIBARUM

## DOMESTICARUM

### DECAS QUARTA.

RESPONDENTE

# IUSTO REIF-

# FENBERGERO

## HEGERA-NASSOVIO.

### QUÆSTIO I.

An fructus naturales bonæ fidei possessor suos faciat perceptione?



*Fructus propriè ita dicti dividi solent in naturales & industriales, quorum illi sunt, qui sine hominis factò ex ipso rei corpore producuntur, l. 45. in f. de usur. l. 62. vers. nam et si. de R. V. hi verò, qui industriam & factum hominis requirunt, d. l.*

*45. & l. 25. §. 1. de usur. ut tradit Wes. ibid. in par. n. 16. Quam rem paulò explicatius ita determinat clariss. Dn. Arum. disp. ff. 8. th. 11. ut naturales sint & dicantur, in quibus natura*

K

prava-





praevalent; industriales in quibus hominis industria & labor emicat: vide Vacon. à Vacun. libr. 2. declarat. 41. numer. 6. id quod majoris evidentiae gratia praemittere placuit. De Naturalibus conceptum est nostrum quaesitum, de quo non omnium eadem est sententia: Affirmativa verior nobis videtur, quam sequentibus fundamentis defendi posse existimamus. I. Primum suppeditabit nobis & aliis rem perspicacibus oculis intuentibus, l. 48. pr. de A. R. D. in qua bona fidei emptor non dubie percipiendo fructus suos facere dicitur, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus provenerunt, sed OMNES. & additur ratio, quia quod ad fructus attingit, loco DOMINI penè est. Oratio universalis nihil excludit, l. 7. de reb. cred. aut si in uno falsa est, totam orationem falsam efficit, l. 13. §. 3. de reb. dub. si igitur omnes, Ergò & naturales. Nec est, quod Hugolinus Accurs. Donel. & Giph. verbum OMNES restringant ad fructus industriales eos, qui non diligentia & opera ipsius bonae fidei possessoris, sed aliorum provenerunt; Rationes enim quibus id probant, sunt divinatoriae, & nihil ad rem faciunt. Melius igitur & commodius est, si id ad naturales referamus. Queritur ibi, quos fructus suos faciat bonae fidei possessor? respondet Ictus, OMNES non tantum industriales, qui ipsius opera provenerunt, sed etiam naturales, qui non: atque hic est adversus ille casus, quem vocula adversativa SED importat. Et viderint, qui fructus industriales b. f. possessori adscribunt cum Accursio propter culturam & curam SUAM, & tamen hic eosdem ei propter alienam tribuunt, an non secum ipsi pugnent. Neg. etiam ex pr. l. demonstrari potest, Paulum tantum agere de fructibus industrialibus, quin potius ex §. fin. constat, cum de naturalibus in primis omnem sumsisse operam, quos ibidem b. f. possessori addicit. Porro ò illud ipsum innuit comparatio

inter



inter dominum & b. f. possessorem instituta: quasi diceret  
 ¶ Ctus, verus dominus non tantum industriales, sed natura-  
 les fructus acquirit: Ergo etiam b. f. possessor, quia loco domi-  
 ni penè est. Etsi verò præsens comparatio non in omnibus  
 quadrat, quod ex verbo PENE colligi potest: tamen ea dispa-  
 ritas non in fructibus, sed in effectu acquisitionis consistit, quod  
 ex præcedente INTERIM cuius patet: scilicet verus Dominus  
 fructus suos facit irrevocabiliter, hic revocabiliter ante con-  
 sumptionem, & ante rei evictionem, l. 25. in f. de usur. II. Al-  
 terum assertionis nostræ fundamentum depromimus ex d. l.  
 25. §. 1. de usur. in qua vicissim duplex instituitur compara-  
 tio b. f. possessoris, quarum una respicit verum rei dominum,  
 altera usufructuarium, ita ut quemadmodum uterq; fructus  
 industriales (nam de illis ibi tantum sermo est ¶ Cto, id quod  
 Hænonio & aliis ambabus largimur manibus) perceptione  
 suos facit, eadem etiam ratione bonæ fidei possessor, quamvis  
 huic largius aliquod jus quo ad perceptionem, quam fructua-  
 rio ipsi sit concessum. Fundamentum hujus comparationis,  
 non est cultura aut cura, ut alii putant, pugnat enim hoc cū  
 ipso textu ibi, A QUOLIBET SATI, quid ergo? Bona sci-  
 licet Fides, quæ unica est hujus acquisitionis basis: & tan-  
 tundem præstat, quantum veritas, l. 136 de R. J. l. 15. in f. de  
 quest. l. 73. §. 1. de leg. 3. unde etiam est, quod post litem conte-  
 statam fructus ulterius sibi non acquirat, ne quidem indu-  
 striales, l. 23. §. 1. de A. R. D. b. l. n. §. si. sed domino restituere de-  
 beat, l. 4. §. 2. fin. reg. nimirum quia cessat causa acquisitionis,  
 Bona fides, l. 20. §. 11. & l. 25. §. 7. de her. pet. l. 18. de R. V. Cum  
 igitur hæc eadem causa non minus sit in b. f. possessore respe-  
 ctu fructuum naturalium, quam industrialium, quæ nobis  
 differentiæ ratio poterit monstrari, ut diversum jus in utrif



que admittamus? Quin imò major æquitatis ratio est in naturalibus, quàm in industrialibus: illi enim cum natura operante proveniant, & industriam hominis principaliter non requirant, citra alterius injuriam acquiruntur, id quod de industrialibus dici nequit, utpotè qui etiam alterius cura, producti à b. f. possessore separantur. III. Atque ad hanc ipsam causam etiam respexit Imp. in §. si quis à non domino. 35. J. de R. D. ibi: æquè bona fide: ubi itidem omnes indistinctè fructus b. f. possessori adjudicat. Nec quicquam adversarios juvat, quod addiderit: Naturali ratione placuit, fructus quos percepit, ejus esse pro CULTURA & CURA, fecit enim hoc, non ut discrimen constitueret inter fructus, sed ut ostenderet, hoc ipsum Jus fundamentum habere in ipsa etiam natura, tam in fructibus naturalibus, quàm in industrialibus, hos enim cultura, illos cura denotat, l. 7. §. 9. sol. matr. l. 3. pr. de impens. in res dot. fact. IV. Postremò idem evincit, l. 28. pr. de usur. & l. 4. §. 19. de usucap. ubi ita pleno jure acquiruntur b. f. possessori, ut usucapione non sit opus. Ant. Fab. 4. conject. 17. Fachin. lib. 1. contr. c. 57. Bronch. cent. 3. ass. 78. clariss. Dn. Arum. disp. ff. 8. th. 11. & exercit. 4. th. 19. Vult. 1. discept. 20. Gerbard. Decad. 4. th. 9. Elias Rober. disp. 7. th. 7. Förster. disput. 6. th. 26. (cujus distinctio tamen an subsistat, dubium me facit, quod vix liceat reperire b. f. possessorem absque titulo, eo ipso enim dum titulo caret, prædo est & male fid. possessor, l. 12. de her. pet.) Petr. Frider. Mindan. de mat. poss. c. 8. n. 8. diss. Giph. ad l. 48. pr. de A. R. D. n. 4. Don. 4. cõ. 25 & de Fruct. cap. 4. Duar. int. de naut. fœn. c. qui fructus veniant in rest. Scip. Gentil. lib. 2. de don. int. vir. & uxor. c. 17. Hænon. disp. 4. th. 11. Hortens. ad §. si quis à non dom. J. de R. D.

QUÆ



## QUÆSTIO II.

An bonæ fidei possessor fructus industriales ante  
consumptionem restituere  
debeat?

Quod de perceptione fructuum dictum est, eam b. f. posses-  
sorem in dominio constituere, de dominio revocabili in-  
telligendum monemus: etenim nisi perceptioni accesserit con-  
sumptio, à vero domino repeti possunt, idq; si fructus natu-  
rales respicias, dubium habet exiguum, de industrialibus au-  
tem omnis est controversia. Nos etiam hos repeti posse ante  
consumptionem statuimus. I. movemur textu, l. 48. pr. de  
A. R. D. quem de fructibus industrialibus in primis agere a-  
pud omnes in confesso est: interim tamen & de his ibidem af-  
firmatur, quod bonæ fidei possessor eos percipiendo INTERIM,  
hoc est, antequam vel repetantur, vel consumantur suos fa-  
ciat. Minimè verò huic repugnat, quod in q. preced. rat. ult.  
diximus, ita fructus ei acquiri, ut nulla usucapione ulterius  
sit opus, & plenissimo jure dominium habeat & consequatur  
sola perceptione: verissimum enim hoc est respectu alterius,  
ita ut si res ipsi auferatur, eam à quolibet possessore vindica-  
re queat, l. 66. de R. V. non autem ipsius domini, nam ut hic à  
repetitione excludatur, oportet ut res vel sit usucapta vel  
consumpta, l. 4. §. 19. de usucap. Sic heres dominus est statu li-  
beri, id quod nemo ignorare debet, l. 9. prin. de stat. lib. non au-  
tem simpliciter, sed INTERIM, donec scilicet conditio liberta-  
ti adposita existat, l. 12. §. 2. fam. hercisc. II. Idem evincitur  
ex §. etsi in rem. 2. J. de off. Jud. ubi fructus non percepti à bo-  
næ fidei possessore, vel consumpti veniunt in petitionem,



bereditatis: Ergo percepti tantum, & nondum consumpti  
 arg. l. 12. de Jud. III. Quod innuit etiam, l. 4. §. 2. fin. reg. qua  
 exigii ut perceptioni accedat cōsumptio, & tum demum fru-  
 ctus b. f. possessori adiudicat, ita ut plenè & irrevocabiliter  
 eos lucretur: aliud ergo dicendum de fructibus nude tantum  
 perceptis, ex qua Wes. & Fab. differentiam inter lucrari &  
 dominium acquirere constituunt. IV. Patrocinator nostræ  
 sententia, l. 22. C. de R. V. quæ vult ut b. f. possessor restituat  
 fructus saltē extantes, h. e. perceptos ante litis contestationē,  
 in eoq̄ illum à m. f. possessore separat, qui non tantū extantes,  
 sed etiam consumptos restituere debet, d. §. 2. J. de off. Jud. §.  
 33. de R. D. per extantes autem fructus ibi non intelligi pen-  
 dentes ex eo liquet, quod b. f. possessor eos prestare debeat,  
 quod sanè facere non potest, priusquam eos acquisivit: acqui-  
 rit autem vel separatione vel perceptione, l. 78. de R. V. d. l.  
 48. pr. de A. R. D. pendentes igitur ejus non sunt, sed sequun-  
 tur fundum tāquam pars, l. 44. d. t. de R. V. l. 61. §. 8. de furt.  
 atque sic non ut fructus, sed ut pars fundi cum ipso fundo re-  
 stituuntur, l. 113. de R. J. l. 7. pr. de except. rei Jud. l. 26. de R. V.  
 Quid quod ipsi Impp. quorum est d. l. 22. hunc sensum urge-  
 ant? etenim quid per fructus EXTANTES intelligant, facile  
 apparet ex l. 3. C. de condic. ex leg. scilicet eos, qui consumptis  
 opponuntur, id est, perceptos seu à solo separatos. V. Atq̄, huc  
 etiam collimant, l. 40. in f. de A. R. D. l. 78. de R. V. & §. si quis  
 à non domino. J. de R. D. Quo jure igitur Ægid. Hortens.  
 fidem Justiniani in defendenda veteri Jurisprudencia in-  
 d. si quis, incuset aliis estimandum relinquo. Faciunt cum  
 hac sententia Ant. Fab. lib. 4. conject. cap. 17. Cisner. ad d. 4.  
 §. 19. de usuc. n. 14. & 15. Fach. lib. 2. controuv. c. 58. Bronch. cēt.  
 2. ass. 89. Hænon. disp. 4. th. 13. contra Don. 4. com. c. 26. & in

tr de.



tr. de Fructu. c. 4. Ægid. Hortens. d. l. Petr. Frider. Mindan.  
in tr. de Mater. poss. c. 8. n. 13.

71

### QUÆSTIO III.

An bonæ fidei possessor impensas necessarias aliqua actione consequi possit?

**J**ure natura æquum est, inquit, Pomponius, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiolem, l. 206. de R. J. in tantum, ut ne quidem p. p. illo hoc concedatur, l. 14. de condict. indeb. propter cujus tamen favorem interdum à cõmuni Juris norma receditur, l. 9. C. de fideicom. lib. Idem observatur in impensis non tantum à bona, sed & male fidei possessore factis, l. 38. de her. pet. Si quid igitur b. f. possessor in rem possessam erogaverit, eamq. domino petenti non deductis sumptibus restituerit, non immeritò quæri potest, an eos aliqua actione consequatur? Vetus est quæstio & inter Glossographos, non minus quàm recentiores Doctores agitata. Sunt qui cum Martino ei tribuunt utilem negotiorum actionem Förster. disput. 6. thes. 22. Gædd. ad l. 79. de V. S. num. 7. Dn. Arum. disp. ff. 8. thes. 12. Treutl. p. 1. disp. 14. thes. ult. & p. 2. disp. 20. th. 6. l. 1. B. Wegner. disp. 4. thes. 6. lit. b. Sunt qui conditionem incerti indulgent, ut Molinaus & Gilken. Nos sententiam Don. lib. 20. com. c. 7. Ant. Fabr. de error. pragm. Decad. 26. error. 9. & 10. clarissim. viri, Dn. Scip. Gentil. lib. 1. de donat. inter vir. & uxor. cap. 40. & Gasparis Schifordigheri lib. 2. ad Ant. Fabr. tr. 12. q. 1. & seqq. Marci Lycklama 7. membr. Eccl. 4. in f. princip. nullum ei hoc casu paratum esse remedium statuentium, vero consentaneam putamus.



mus. I. Si nullo alio modo, quam per retentionem, impensas servare potest b. f. possessor, frustra querimus de alio. Prius autem verum est, per l. 33. de condict. indeb. ubi Julianus id verbis perspicuis tradit. Posterius ergo suo consistit robore. II. Docet idem etiam ratio in allegata l. adducta. Etenim ut detur actio quadam, oportet ut negotium aliquod inter dominum & b. f. possessorem geratur, l. 1. §. 3. de pact. l. 15. de prescr. verb. Nullum autem hic est negotium, dum domino restituitur possessio, propria enim ipsius res redditur, nihilq; de suo transfert b. f. possessor: & impensa rem quasi accessorium principale sequuntur, l. 3. §. pen. ad exhib. l. 19. §. 13. de aur. & argent. leg. Neque etiam Domini negotium gessisse creditur: qua enim ratione bona fidei possessor ad alterius personam respicere potuit, cum sese dominum certo crediderit? III. Retentio autem hac fieri dicitur, aut per Judicis officium, l. 48. de R. V. aut per exceptionem doli oppositam. d. l. 48. l. 27. §. fin. l. 37. & l. seq. eod. l. 29. §. pen. de pign. l. 7. §. 12. de A. R. D. l. 45. §. 1. de act. empt. §. 30. J. de R. D. l. 5. l. 11. & l. 16. C. de R. V. non ALIAS, l. 14. de dol. mal. & met. except. Sic enim Disiunctim hac duo accipi debere tradit Scip. Gentil. d. l. contra Donell. Unde vicissim apparet, non posse b. f. possessorem quicquam ex impensis recuperare, nisi possideat, & quidem dictum adhibeat medium: idq; tam de jure novo Pandectarum & Codicis, quam veteri Institutionum verum est, contra quam distinguit Hortens. ad d. §. 30. J. de R. V. talem enim distinctionem admitti non posse, monstravimus supra decad. 1. q. 3. An idem dicendum in mala fidei possessore? Ita est 1. Quia licet ei possit objici culpa, d. §. 30. J. de R. D. ita ut de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit, l. 38. de her. pet. tamen non minus in m. f. possessore militat ratio naturalis,

quod



quod petitor ex aliena jactura lucrum facere non debeat, quàm in eo, qui bona fide possidet: ideoq; etiam impensarum ratio haberi debet, idq; officio Judicis contineri dicit Paulus in d. l. 38. Ergò per retentionem servantur, si scilicet res sit melior. II. Quia & aliàs leges faciles sunt ad indulgendam retentionem, l. 95. §. 2. de solut. & magis favent repetitioni, quàm adventitio lucro, l. 41. in f. de R. J. III. Quia id expresse dicit, l. 5. C. de R. V. ubi per verbum REPETITIONIS intelligitur retentio, nam & qui excipit agit, l. 1. de except. l. 19. pr. de probat. atq; ita repetere videtur, ut ostendit Donell. & Scip. Gentil. dd. ll. Faciunt nobiscum Ant. Fab. libr. 2. conject. c. 1. Licklam. d. l. qui duo tamen quoad impensas utiles inter se dissentiunt; ille enim b. f. possessorem deducere, prædonem tollere non a. retinere, nisi quando dominus sublationem non vult concedere, l. 38. de R. V. statuit; hic verò secutus auctoritatem Cujacii 10. obs. 1. utrumque exæquat, cum quo statuere non possumus. V. Bronch. cent. 3. ass. 17. Fach. 1. contr. cap. 55.

## QUÆSTIO IV.

An §. si quis in aliena. 34. J. d R. D. possit in concordiam reduci cum l. 23. §. 3. de R. V?

**D**E concordia horum textuum malè sperare nos jubet Eguin. Baro, & Balduin. in d. §. si si quis, Albert. Gentil. disput. de libr. Jur. civil. c. 1. p. 10. ineptè tentari conciliationem existimat, Hortens. ad d. §. ignoscendum potius Triboniano dormitanti, quam solutionem investigandam monet. Ergone datur Antonomia in jure? ubi igitur fides Justi-

L

niani



niani, nullum contrarium in totis hisce libris relictum, l. 2. §. 16. C. de vet. jur. enucl. asserentis? *Quaestio est, An pictura cedat tabulae? Affirmat id Cajus libr. 2. tit. 1. §. 4. in f. cui ad stipulari videtur Paulus in l. 23. §. 3. de R. V. contra negat Gaius in l. 19. §. 2. de A. R. D. quem sequitur Imp. in §. 34. J. de R. D. Et sanè olim hac de re inter Ictos fuisse disceptatum, indicio est in d. l. 23. verbum QUIDAM, & hanc ipsam litem ad sua usque tempora durasse, haud obscurè innuit Imp. in d. §. 34. videtur enim ibi per verba QUIDAM PUTAT Gajum denotare, Paulum verò & Cajum illo, ALIIS. Nodus hic Gordius est, ad cujus dissolutionem quam inter tot Doctorum conciliationes arripiamus, vix invenimus. Sanè si de unius Caii auctoritate ageretur, ferò Alexandrino uteremur, nec de alia solutione solliciti essemus, cum secari possit. Nullibi enim Institutiones Caii (de quarum auctore alii etiam dubitant,) pro authenticis sunt recepta, atque ita sicubi contrarientur, jus contrarium non faciunt. Locus Pauli omne facessit negotium, eo ipso enim dum in pandectas relatus est, juris robur accepit, & non jam ulterius Pauli, verum ipsius Justiniani videtur §. tanta 10. de confirm. Digest. videatur interim Pac. 3. év. 10. c. 43 qui inter regulam & exceptionem distinguit Donell. 4. com. c. 36. qui inter actionem directam & utilem: Goedd. ad l. 15. n. 13. de V. S. qui inter tabulas coreaceas, cereas, lapideas, ligneas & picturam artificiosam: Dn. Arum. exerc. 4. tb. 18. qui inter Jus approbatum, & nudè relatum: Marcus Lycklama libr. 1. membr. Ecl. 16. qui inter jus diversum & juris diversificationem. Nos pugnam hanc conciliari posse putamus, quo remedio, in ipso disputationis actu declarabimus.*

QUÆ.



## QUÆSTIO V.

An dari possit differentia inter servitutem altius non tollendi, & ne luminibus officiat, item inter hanc & servitutem luminum?

¶ Ita putamus, & quod sit differentia inter servitutem altius non tollendi, & ne luminibus officiat, ex distinctis servitutum nominibus. I. quis facile colliget, distincta enim nomina, distincta etiam presupponunt res, l. 7. C. de codic. II. Quia illa angustior est hac, differtque quasi species à genere: Et enim qui illam habet, hoc tantum habet, ne vicinus altius tollat, atque ita edificando luminibus officiat; qui hanc plus habet, ne scilicet aliis etiam modis impediatur, l. 15. de S. P. U. Hinc nec arborem quis ponere potest, ut lumini officiat, l. 17. prin. eod. quod tamen potest, qui servitutem priorem debet, l. 12. d. t. III. Idem constat ex l. 4. ff. eod. tit. quam contra sentientes pro se adducunt: Ibi enim dicitur, quod in servitute; Ne luminibus officiat **MAXIME** hoc adepti videamur, ne jus sit vicino invitis nobis altius edificare. Scilicet quia hic precipuus ferè est modus, quo luminibus vicini officere possumus, ergò maximè huic servituti inest, sed non solus, nam & deprimendo officere quis potest luminibus, d. l. 17. §. 2. ergò adhuc sunt plures, & sic differt hac ab illa. Atque hanc etiam fuisse mentem Imperat. apparet ex §. 1. d. de servit. & Gaii, ex l. 6. de S. U. P. ubi utraq; species tanquam separata proponitur. IV. Quia actus agentium non debet operari ultra intentionem eorum, l. 19.



*pr. de reb. cred. Operaretur autem, si servitus, Ne altius tollatur eadem esset cum servitute Ne luminibus officiat, ut potè quæ alia quoque impedimenta continet. Idq̄, difficilium in hac materia concedendum fuerit, quod servitus rerum contra naturalem earundem libertatem inducta, l. 8. C. de servit. Et aq. l. 24. §. fin. Et l. 26. de damn. inf. l. 9. de S. P. U. non minus est odiosa quàm personarum, ut tradit Giph. ad l. 2. C. d. t. Ant. Fab. 19. conject. 15. Wes. ad §. 2. Inst. de serv. n. 7. Et in par. ff. de servit. n. 4. Hoto. 2. amicab. 4. Don. Enucl. lib. 10. c. 5. lit. a. Dn. Arum. exerc. 5. th. 9. Guil. Förster disp. 7. th. 10. Hænon. disp. 5. th. 5. Diss. Cujac. 17. obs. c. 35. Donell. d. l. 10. com. c. 5. Bronch. cent. 2. ass. 5.*

*Sic etiam inter servitutem. Ne luminibus officiat, Et luminum tanta est differentia, ut eadem esse non possint. I. Per l. 4. de S. V. P. ubi hæc traditur, quod servitus Luminum contineat in se, ut aliquid patiat, b. e. ut lumina nostra recipiat vicinus; Ne luminibus officiat verò, ne quid faciat, b. e. ne lumina minuat ædificando vel alio quolibet modo: in his enim servitutes consistunt Et differunt, l. 15. §. final. de servit. II. Quid aliud sibi vult particula adversativa AUTEM, Et verbum SERVITUTIS iteratum in d. l. 4. Vid. Ant. Fab. Hotom. Arum. dd. ll. Cujac. 1. obs. 4. Robert. 4. sent. 7. Förster. d. disput. thes. 11. Hænon. d. l. th. 6. Ant. Coler. disput. 5. monit. 2. Diss.*

*Donell. Bronch. dd. ll. Andr.*

*Gerhard. Decad. 5.*

*q. 2.*



*QUÆ.*



## QUÆSTIO VI.

An itineris vel alterius servitutis realis ususfructus  
constitui possit?

Quæstio hac proponitur in l. 1. de usufr. leg. de cuius intel-  
lectu varia sunt variorum sententia. Ratio dubitandi  
desumitur ex verbis Senatusconsulti de usufructu facti, quod  
nimirum omnium, quæ in bonis sunt, ususfructus constitui  
possit, l. 1. de usufr. ear. rer. ita ut nulla res sit, quæ non cadat in  
ususfructus legatum, l. 69. ad l. Falcid. Jam verò servitutem  
esse in bonis nostris inde cuiusvis facile constare potest, quod  
neque sit ex bonis, neque extra bona: Ergò erit in bonis. Ita e-  
nim verba hæc accipimus, ut potius pertineant ad rationem  
dubitandi, quàm decidendi, licet hoc velint Donell. 4. com. 5.  
& Ant. Fab. lib. 19. com. c. 8. circa fin. atque sic innuunt, iter i-  
psum & reliquas servitutes videri istiusmodi res esse, quarum  
ususfructus constitui possit; non autem quod servitus servi-  
tutis sit nihil: hac enim ratione absurde diceretur, quod ne-  
que extra bona esset, cum omninò non sit. Ex bonis non est  
servitus, quia quæ ex bonis sunt, eorum dominium plenum  
non habemus, sed saltem possessionem, quorù tamen damnum  
vel commodum ad nos aliquo modo spectat, l. 2. §. 22. de vi  
bon. rapt. §. fi. Inst. eod. quæ interdum et aliena vocatur l. 13. §.  
1. de lib. caus. l. 1. §. pen. nauta, coup. stabul. ut recep. rest. nec sùt  
in bonis l. 1. §. 11. si is qui test. lib. esse ius. nec proprie nostra, l. 73.  
pr. de legat. 3. Quæ omnia de servitutibus dici non possunt. Sic  
et non sint extra bona, nam illa quæ sunt extra bona nondum  
nobis competunt ullo jure, l. 42. de A. R. D. cuiusmodi est substi-  
tutio antequàm prior heres hereditatē repudiat. At quis hoc de



servitute ritè constituta affirmaverit, arg. l. 4. de servit. de hac enim, non de promissa ibi agitur. Quibus ita demonstratis necessario sequitur, quod sit in bonis. Deinde ex alia Juris ratione hoc demonstrari potest, nimirum quod illam rem in bonis nostris habere videamur, in cujus possessione exceptionem, amissione actionem ad recipiendam habemus l. 52. d. t. de A. R. D. l. 143. de verb. signif. l. 15. de R. J. Atqui de servitutibus habemus actionem in rem, l. 2. §. 1. Et t. t. Si servit. vind. que dicitur confessoria, §. 2. J. de act. Ergò erunt in dominio Et bonis, cum alias nulli detur actio in rem, nisi domino, l. 23. pr. de R. V. Postremò idem liquet ex l. 49. de V. S. l. 15. §. 8. quod vi aut calm. l. 8. pr. de reb. aut b. Jud. poss.

His omnibus tamen non obstantibus Paulus Ictus negat usufructum itineris legari Et constitui posse. Rationem decidendi affert hanc: quia servitus servitutis esse non potest, d. l. 1. de usufr. leg. cui consentire videtur Proculus in l. 24. de S. P. R. Et Africanus in l. 33. in f. eod. de cuius tamen lectione non convenit Ant. Fabr. s. conject. c. 11. Et Treutl. vol. 1. disp. 17. th. 10. lit. a. Quenã a. sit ratio rationis, utriñ nò quia servitus non sit in bonis, an verò alia? in eo vertitur omnis cardo controversiæ. Paulus nunquam negavit assumptum rationis dubitandi, quod scilicet servitus non sit in bonis, neq; enim hoc negare potuit propter supra allata affirmativa fundamenta: ideòq; saltem ad propositionem majorem limitativè respondere voluit, verba scilicet sc̄ti de illis rebus esse intelligenda, quarum usufructus commode sine alterius lesione Et absq; absurditate aliqua constitui possit. Neq; hoc est insolitum, ut generalis locutio ad certas res determinetur, l. 86. pr. de leg. 2. l. 92. de leg. 3. ubi Gothofr. in not. lit. f. Jam verò servitutis ser-

vitus



vitus neq<sup>3</sup> sine alterius injuria constitui potest, dum n. usufructum itineris concederē, fundū qui non est meus, sed domini rem ansit, afficerem aliquo onere, & jus veri domini immi-  
 nuerē, l. 5. §. 6. de oper. nov. nunc. quod fieri non potest. arg. l. 2. de servit. l. 61. de usufr. Hinc servitus pignorari, l. 11. in f. de pign. & locari per se nequit, l. 44. loc. Neq<sup>3</sup> etiā sine absurditate servitus servitutis constituitur: daretur enim accidens acci-  
 dentis, quod absurdum. Hotom. 6. obs. c. 25. & Ant. Fab. d. l. & si concederem, tum esset usufructus aut servitutis meo pradio ab alio, aut à seipso debita: illud si esset, jam extenderetur servitus extra suos terminos, finis enim ejus est, ut meo pradio sit utilis, l. 24. de S. P. U. non autem alii l. 5. & l. 29. eod. si hoc, majus absurdum oriretur, quia res propria nemini servit, l. 26. de S. P. U. Ergo nullo modo constitui poterit. Donell. 4. com. cap. 5. Si nunc queras, quomodo igitur servitutes sint in bonis; ablego te ad Giphano. in rubr. titul. ff. de A. R. D. numer. 29. & in l. 52. numer. 2. & sequentib. eod. Herman. Vult. ad princ. f. de R. D. numer. 18. Gædd. in l. 49. num. 15. & sequentib. de V. S. Ant. Fabr. d. l. Marcum Lycklam. 7. membr. Eclog. 43. §. 1. Hotom. d. obs. 25. Georg. Martin. disput. 2. contr. non contr. thes. r. Nos gradus domini à Giphano propositos agnoscimus, & servitutes cum Gæddo ad ultimum referimus,  
 & cuiq<sup>3</sup> in hac controversia  
 suum judicium relin-  
 quimus.





## QUÆSTIO VII.

An in præscriptione servitutum requiratur  
titulus?

Quæquam servitutes ut res incorporales §. fin. J. de reb. corpor. & incorpor. per se neque traditionem, l. ultim. de servit. nec possessionem, l. 14. eod. & sic nec usucapionem recipiunt. l. 43. §. 1. de A. R. D. hæc enim sine illa nunquam subsequitur, l. 25. de usucap. c. sine extr. de R. J. in 6. tamē quia sequuntur subiectum, l. 12. de S. P. R. ideo & cum eo possidentur, l. 32. inf. de S. P. U. & simul usucapiuntur, l. 10. §. 1. de usucap. sive præscribuntur, l. 10. si servit. vind. nam inter hæc duo hodie propter l. un. C. de transfor. usuc. quoad effectū nihil interesse putamus cum Duar. lib. 1. disp. annivers. c. 34. Giph. ad l. 2. C. de servit. contra Ant. Fab. lib. 19. conject. c. 9. An a. sine titulo? Affirmativa nobis arridet, non tantum propter magnos ejusdem patronos, sed & propter fundamenta, quæ habent omnino concludentia. I. Primum habetur in l. 1. §. fin. de aq. plu. arcend. quæ ita loquitur: Sanè enim & in servitutibus hoc idem sequimur, ut ubi servitus non invenitur imposita, qui diu usus est servitute, neq. vi, neque precario, neq. clam, habuisse longa consuetudine vel ex jure impositam servitutem videatur. Hinc ita inferimus: Tum vetustas vicem legis obtinet, facit q. ut servitūs acquiratur ei, qui ea diu usus nec vi, nec clam, nec precario, quando servitus non invenitur imposita. Atqui hoc fit, quando quis servitutem JURE impositam non habet, l. 5. §. 3. de itin. act. priv. seu quando causam possessionis & titulum demonstrare nequit. Quid enim aliud est causa possessionis, quàm titulus? l. 13. pr. juncto §. 1. de her

pet. l.



pet. l. 1. pro dot. Ergo. II. Non leve suffragium hujus sententia continetur in l. 10. si servit. vind. & in l. ultim. de aq. plusv. arc. ubi is, qui diuturno usu & longa quasi possessione jus aquae ducenda nactus est, non habet necesse docere de jure, quo aqua constituta est: imò contra adversarium eum tueri debent, qui juri dicundo praesunt, licet jus non probet, cum vetustas ei auctoritatem praebeat. Quod autem ibidem per verbum JURIS non intelligatur servitus ipsa, sed titulus, dilucidè apparet ex eo, quod exempli causa additur à JCto, veluti ex LEGATO, vel alio modo: Est enim legatum titulus usucapioni conveniens, l. 27. de usucap. & t. t. pro leg. III. Pro nobis militat, l. 2. Cod. de servit. & aq. quae illi servitutem acquisitam pronunciat, qui aquam per possessionem Martialis duxit, eo sciente & non ignorante: Ergo titulum servitutis non habuit. Non ab ipso domino seu Martiale, quia hac ratione nulla usucapione fuisset opus, quin ipsius patientia & scientia haberetur pro traditione possessionis, l. ultim. de servit. atque sic servitutem ipso jure constitueret, l. 1. inf. de S. P. R. l. 11. §. 1. de publ. in rem act. Et quamvis non ignoremus discretam esse rationem possessionis & proprietatis, l. 115. de V. S. l. 12. §. 1. de acquir. poss. unde forte quis cum Hilligero inferret, hic per Martialem non intelligi verum rei dominum, sed vicinum possessorem: tamen & hoc notum est, possessionem in jure saepe accipi pro ipsa et proprietate & praediis vide l. 1. C. de transf. usuc. Cona. lib. 3. com. c. 8. n. 2. Quid igitur obstat, quò minus & hic possessionem accipiamus pro fundo Martialis proprio? Neque ab alio quodam, quia tum frustra exigeretur scientia Domini, cum omnis usucapio justo titulo inchoata nec ignorantiam, nec scientiam Domini requirat, l. ultim. §. ultim. Cod. de long. temp. praescript. Sed

M

nunc



nunc ad alia transeundum, qui plura desiderat eum addere jubemus, Don. 11. com. c. 12. pag. (mibi) 548. num. 20. Et in op. post. ad l. 2. C. de servit. Ant. Fab. lib. 19. conject. c. 10. Et ad eum Gasp. Schifordegber. lib. 1. tr. 6. q. 7. Conna. lib. 4. com. c. 12. n. 16. Giphon. ad l. 1. C. de servit. Et aq. Zanger. 3. de except. c. 8. n. 40. Fach. lib. 8. contr. c. 22. Vasq. 2. ill. contr. c. 65. nu. 7. Et seq. Hackelman. in quest. ill. disputat. 7. thes. 15. lit. f. Vaud. 2. q. 3. Bronch. cent. 1. ass. 93. Hænon. disputat. 6. thes. 6. Gerhard. exerc. 5. thes. 4. Diss. Duar. lib. 1. disput. cap. 34. Et in l. 10. si serv. vind. Coras. in l. 14. de servit. Treutler. part. 1. disputat. 17. thes. 9. Hotom. lib. 8. obs. c. 11. Hillig. in Donell. enucl. lib. 11. c. 12. lit. c. Förster. disput. 9. thes. 7. Wegner. disput. 6. thes. 3. lit. c. Et alios.

## QUÆSTIO VIII.

An usucapio tribuat dominium directum?

Non est hoc ζητημα de lana caprina seu leporina, verum enim usucapionis effectum indagat, Et sua se commendat utilitate, ut eleganter demonstrat Gilken. intr. de prescript. p. 1. c. 3. operæ igitur precium facturi nobis videmur, si in ejus veritatem inquiramus, Et rem ex juris fundamentis eruamus. Sunt qui ex usucapione dominium saltem utile proficisci credunt, inter quos est Zas. in l. 1. de acquir. poss. n. 20. Alciat. ibidem num. 12. Et in l. 20. Cod. de pact. l. 13. §. 11. de jurejur. num. 4. Ang. Mattheac. lib. 1. de via Et rat. jur. c. 19. num. 11. Et sequent. de quo dominio utili quid sentiendum, satis, ut puto, ex quest. 8. Decad. 3. apparet; Sunt deinde qui dominium directum usucapionis genuinum effectum ponunt,

quibus



quibus ut album apponamus calculum, partim legibus, partim etiam rationibus inducimur. **LEGIBUS**, quia he dicunt I. Usucapionem esse adjectionem dominii, l. 3. de usucap. dominii capionem, l. 18. §. 1. de damno infect. plenissimam tribuere securitatem, l. ultim. in f. Cod. de edict. D. Hadrian. toll. eadem dominium acquiri, l. 10. §. 2. de A. R. D. trāsferri, l. 20. C. de pact. Et res ad nova dominia transire, l. 1. C. de præscript. long. temp. ajunt. II. Bonæ fidei possessorem ejusdem beneficio rem suam facere, l. 7. §. ult. pro empt. dominium nancisci, l. 1. in f. de publ. in rem. act. acquirere, l. final. pr. de eo, per quem fact. l. un. C. si advers. usucap. plenum jus habere, l. 17. in f. de R. V. firmo jure possidere, l. un. C. de transfor. usuc. per usum sibi acquirere, l. 19. ex quib. caus. major. usu suum facere, l. 1. §. 2. d. t. l. 33. de usucap. in suum dominium capere, l. 5. pr. de damno infect. in jus sue proprietatis transcribere. c. cleric. 16. quæst. 3. dominum fieri. Auth. nisi tricennale. C. de bon. matern. Et esse, l. 10. in f. de A. R. D. Et denique plenissima munitione securum pronunciant, l. 4. in f. Cod. de præscript. 30. vel 40. an. Quod sanè de eo dici nequit, qui quoquo modo inquietari potest, argum. l. 7. §. 2. vers. permittitur. de Minor. Ecquis autem crederet infinitis hisce locis verbum **DOMINII** improprie accipi pro dominio utili, argum. l. 1. §. 1. si ag. vect. aut suum pro eo, quod non est proprie suum? l. 73. pr. de leg. 3. credat qui velit aut Judeus Apella, nobis non fit verisimile. **RATIONIBUS** movemur subsequētib. I. Quia finis usucapionis introducta est, ut finiantur lites, que ob incertitudinem oriri possent, l. ultim. pro suo, Et ut dominia rerum sint certa, l. 1. de usucap. quem finem frustra intenderent Jcti,



nisi plenum dominium usucapiens nancisceretur. sed tantum utile, atque sic hac ipsa communio majores excitaret inter cives discordias, l. 77. §. 20. de leg. 2. l. 26. de S. P. U. II. Monstrat hoc Imperatoris Justiniani propositum & ratio ordinis in Institutionib. observati: Primum enim ostendit, quibus modis ex jure gentium acquiramus rerum dominium, deinde subjungit modos ejusdem acquirendi. ex jure civili promanantes, §. fin. J. de usu & hab. eisq; annumerat usucapionem. Certum autem est ibi eum non agere de dominio utili (illud enim planè ipsi & Triboniano, ut & omnibus Jctis fuit incognitum, atque sic Saturnino cuidam acceptum ferendum, l. 1. inf. de Senat.) sed de directo. III. Quia absurdum est, duos unius rei statuere in solidum dominos, l. 5. §. fin. commod. aut possessores, l. 3. §. 5. de acquir. poss. cum igitur leges usucipienti attribuant dominium, ut constat, firmissimè sequitur quod ex contrario id domino negligenti adimant, atque sic ostendant jura vigilantibus esse scripta, non autem dormientibus, l. 24. inf. quæ in fraud. cred. ne diligentior quisque deterioris sit conditionis, l. 8. de compens. quam stultus, l. 4. quod vi aut clam. IV. Non minus nobis hanc sententiam persuadet & hoc, quod usucapio sit & vocetur alienatio in l. 28. de V. S. Jam verò Impp. Severus & Antoninus in l. 1. C. de fund. dot. Alienationem esse ajunt, omnem actum, per quem dominium transfertur. V. ultimò nos huc trahit & hac ratio, quod usucipienti datur actio in rem seu rei vindicatio, l. 8. §. 2. C. de præscript. 30. vel 40. an. Quæ actio nemini datur, nisi ei, qui aut jure gentium, aut jure civili dominium directum acquisivit, l. 23. pr. de R. V. Ergò oportet ut idem etiam dicatur de b. f. possessore, qui rem usucepit. AUTORITATIBUS denique si pugnare liceret, possemus producere Dua-

ren.



ren. lib. 1. disp. an. c. 17. Et ad tit. de usucap. c. 5. Donell. 5. com.  
29. Et ibid. Enucl. lit. a. Coras. 6. miscel. 20. Vasq. 2. contr.  
ill. c. 54. Petr. Gregor. lib. 40. Syntagm. c. 1. num. 8. Fachin. 1.  
contr. c. 70. Wesenb. parat. ff. de usucap. n. 3. Mynsing. ad rubr.  
Inst. eod. n. 7. Dn. Arum. exercit. 6. tb. 11. Förster. disp. 9. thes. 11.  
Hoen. disp. 6. tb. 16.

## QUÆSTIO IX.

Quod de Donatione Constantini Sylvestro Papæ  
facta sit statuendum?

Commodus hic nobis offertur locus, ut quid de Donatione  
Constantini Magni sit sentiendum, investigemus, de qua  
hec nostra est sententia, quam et publicè aliquando propu-  
gnavimus: Eam nec unquam factam esse, nec si facta fuisset,  
valuisse. Duo sunt membra, de quibus ordine, sed breviter.  
FACTAM NON ESSE sic probamus. I. Quia id ex nullo  
probato authore demonstrare possunt Papicola: hinc Nicolaus  
de Cusa lib. 3. de concordant. cathol. c. 2. In veritate supra mo-  
dum miror, inquit, si res ita est, eò quod in authenticis libris  
et in historiis approbatis non invenitur. Relegi omnia, que  
potui gesta imperialia, ac Romanorum Pontificum, historias  
sancti Hieronymi, qui ad cuncta colligenda diligentissimus fuit,  
Augustini, Ambrosii ac aliorum opuscula peritissimorum: re-  
volvi gesta sacrorum conciliorum, que post Nicenum fuere,  
et nullam invenio concordantiam ad ea, que de illa donatio-  
ne leguntur et c. Hinc Pius II. Pontifex, referente Felin. se  
mirari dixit, miseros Legistas disputare de valetudine ejus,  
quod nunquam fuit. II. Præterea Falsum est, quod de le-  
pra Constantini affertur, ut testatur Baptista Mantuanus



lib. 1. de patient. c. 30. ex Plin. libr. 21. c. 1. nam lepra ejus tempore jam dudum cessaverat. Fictitium quod de apparitione Petri & Pauli Sylvestro fact. comminiscuntur. III. Nul- lum habent hujus rei documentum, præter capitula quædam quæ partim sunt spuria & paleæ vocantur, partim à talibus conscripta, qui tanquam à rei propria testimonio meritò re- pelluntur, l. 10. de testib. l. 10. Cod. eod. l. penultim. de recept. arbitr. Nec ullum proferre possunt instrumentum, quod no- bis hujus rei fidem faceret, id quod Veneti ipsi Pontifici Ro- mano aliquando illusoriè exprobrarunt, quod qui vult leget apud Philip. Camerar. part. 1. oper. succis. c. 61. pagin. 285. Aut sanè si proferunt, inter sese discrepant, atque ita sibi invicem derogant & nihil probant, l. 14. C. de fid. instrum. l. 188. de R. J. IV. Si Imperator Rom. mundi dominus est, l. 9. de l. Rhod. de jact. idq. ipsi canones testantur c. nobis. dist. 63. atque hinc etiã non tantùm Constantinopoli, sed & Ro- mæ legis ferre potest, l. 1. C. de appellat. l. 13. C. de excus. mun. lib. 10. l. 31. C. ad l. Jul. majest. Nov. 69. c. 1. & in Epil. ibi, in o- mni Italia. Nov. 70. & l. 1. §. 10. C. de V. J. E. quomodo credibi- le est, Papam hujus domini esse socium? V. Evertit hoc i- psum c. Ego Ludovicus, distinct. 63. ubi de donatione Caroli M. & Ludovici agitur: qua sanè opus non fuisset, si jam ante omnia occidentalia habuisset Pontifex, nam quod ante meum est, ulterius meum fieri nequit, l. 4. C. de contr. empt. §. 10. J. de legat. l. 13. §. 4. de acquir. poss. l. 159. de R. J. l. 14. §. penult. de except. rei jud. Sed quid in re clara facem accen- dimus? Videatur Nicolaus Cusan. d. l. Valla de don. Const. Phil. Mel. in Chronic. in vita Const. Mart. Lu- ther. tom. 6. Jenen. German. p. 684. Henning. Arnis. de

subje-



subject. & exempt. cleric. c. 6. & lib. 1. de jure majest. c. 5.  
pag. 120.

Quid verò si facta fuisset? NON VALUISSET.  
I. Quia Imperator Constantinus non habuit jus & facultatem alienandi subditos, quod sic demonstramus: Imperator omni alii occupationi preferre debet utilitatem subditorum Nov. 89. in epil. & salutem reipubl. pro viribus tueri, l. 3. de off. praefect. vigil. Hinc Cicero lib. 1. off. ut tutela, sic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Hotom. ill. quest. 1. Quemadmodum autem tutor tunc in re pupilli domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat l. 7. §. 3. pro emptor. l. 65. §. 4. de furt. l. 27. de admin. tut. Sic etiam Imperator dominus est, non cum alienat, sed quando defendit & auget imperium, unde & nomen Augusti & patris patriae obtinet, l. ult. de interd. & releg. Sic maritus licet sit dominus dotis, tamē eā alienare nequit, l. 4. de fund. dot. al. princ. tit. Inst. quib. al. lic. vel non. Valeat igitur hic quod dicitur in l. 20. de A. R. D. & l. 54. de R. J. neminem plus juris in alium transferre posse, quam ipse habuit: nec statim cui administratio commissa est, donandi etiam jus habere creditur, l. 28. in f. de pact. aliud enim est simplicem habere administrationem, aliud liberam, l. 1. §. 1. quae res pign. Vide Duar. lib. 1. disput. an. c. 17. Quin imò ipsi Canonistae fatentur, alienationes in praedictum regni factas esse revocandas, etiamsi juramentum accesserit, c. intellecto. 33. extra de jurejur. ubi istiusmodi adduntur rationes, quas Constantino applicare possemus, nisi brevitati studeremus. II. Notum est, quod donatio non

valeat



valeat, quæ incapaci facta est, l. 49. §. 2. de leg. 2. ubi (ut hoc obiter addamus) verbum *FALSUM* omissum est, l. 11. §. 16. de leg. 3. At donatio Constantini fictitia incapaci facta esset: Papa enim jus gladii non habet Matth. 26. vers. 52. Et in hoc differunt Sacerdotium Et Imperium, ut illud divinis ministrat; hoc autem humanis presidens diligentiam exhibeat, Nov. 6. pr. alia enim sunt negotia secularia, alia ecclesiastica, c. 1. dist. 88. Militet ergo hic vicissim, quod Ambros. dixit: Nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. c. convenior. 23. q. 8. plura dabit discursus. Videatur Bronch. cent. 2. miscell. ass. 80. Coler. disp. 8. coroll. 5. Et 6. Et supra alleg. Vasq. lib. 1. contr. c. 5. n. 27. qui subdubitan ad Vallam nos remittit. Et Br. in præfat. ff. n. 14. qui invitus domina Ecclesie Cantilenam cantat.

## QUÆSTIO X.

An Maritus sit dominus dotis?

Cum in præcedente questione mentionem fecerimus domini dotis, ideò colophonis loco hic paucis de eo videre placuit, in primis cum Et ratio ordinis, quem in diatribis hisce nostris ad vestigia Imperatoris dirigere hætenus laboravimus, id nobis suggerat. Sunt autem hac de re tam discrepantes Doctorum sententis, ut legentem dubium potius reddant, quàm in aliquo veritatis sapore confirmet. Nos maritum dotis dominium esse statuimus, idq; subsequentibus corroboramus fundamentis. I. quia leges id expressè dicunt, dotale prædium esse, cujus dominiū marito quæsitum est, l. 13. §. 2. de fund. dot. dotis dominium ad maritū transferri, l. 9. §. 1. in fi. de jur. dot. eā in bonis mariti esse, l. 21. §. 4. ad municip. l. 7. §. 3. de jur. dot. l. 75. pr. eod. ita ut dominium rei quæsitæ ipsi invito aufer-



auferrinon possit, l. 23. C. eod. sed semper apud ipsum remane-  
 at, l. 1. ff. eod. II. Deinde dominium hoc plenum esse, ex effe-  
 ctis ejus elucescit. Hoc enim veri domini est proprium, ut  
 quolibet plenam in re sua habeat facultatem, l. 60. §. 4. mand.  
 utendi, l. 21. C. d. t. §. abutendi, l. 25. §. 11. de her. petit. vel alie-  
 nandi, l. 2. Si à par. quis man. l. 9. C. de Jude. Quæ omnia & a-  
 lia maritum ratione domini posse, vni erimus nisi demon-  
 straverimus. Atq; en, maritus dotem vindicat, l. 11. C. de jur.  
 dot. At nemo hoc potest, nisi verus rei dominus, l. 23. pr. de R. V  
 in hoc enim ponitur discrimen inter id, quod verè suum est,  
 & quod modo quodam l. 27. §. 2. de aur. & arg. leg. quod sciti-  
 cet id, cujus vindicandi facultatem quis habet, sit suum, non  
 aliud. Sic actio legis Aquilæ domino competit, l. 11. §. 6. & l. 43  
 ad l. Aquil. Atqui hæc datur marito in re dotali, l. 18. in f. sol.  
 matr. de furti actione nil dicam, licet enim & hæc marito, l.  
 49. de fur. & domino competat, l. 80. d. t. tamen & non domino  
 datur §. furti autem. 13. f. de obl. quæ ex del. Porrò quod alie-  
 nãdi facultas ipsi cõpetat, ex eo apparet, quod singulari probi-  
 bitione ei interdicta est alienatio, qua interdictiõe sanè opus  
 nõ fuisset, si non competiisset, arg. l. 3. in f. de cap. min. & docet,  
 quod in hac comparatur cum pupillo, qui utiq; verum & ple-  
 num dominium habet, licet alienare non possit. III. Quale  
 dominium nanciscimur ex traditione, tale etiam ex usucapio-  
 ne, l. 20. C. de pact. sed traditione, quæ à domino ex causa facta  
 est, verum & plenum dominium consequimur. §. per traditio-  
 nem D. de R. D. Ergò. Jam verò maritus res dotales, quarum  
 uxor nondum habuit dominium completum, usucapit & ac-  
 cessionem habet, l. 13. §. de acq. poss. ex persona uxoris, l. 7. §. 3.  
 de jur. dot. Sed quia dos datur marito pro oneribus matrimo-  
 nii sustinendis, l. 76. in f. de jur. dot. l. 65. in f. pro soc. ideò hæc

N


duran-



DIATRIB. DOMESTICAR.

90

durante tantum matrimonio subsistunt, eo enim dissoluto dos ad fœminam revertitur, quæ & propterea dominium habere dicitur, l. 30. C. de jur. dot. Quid porro ad conciliationem textuum in specie pugnantium afferre possit, in ipso Disputationis actu videbimus, & an ea quæ tradit Cujac. 10. obs. 32. Coras. 5. misc. 14. Conan. 8. Com. 4. Don. 14. com. c. 4. Vaud. 2. q. 3. Vult. 1. discept. 19. Dn. Arum. exerc. 6. corol. 1. Robert. 3. sent. c. 18. Giphan. ad l. 29. C. de jur. dot. & Petr. Grego. lib. 9. Syntag. c. 10. n. 11. & Marcus Lycklam. 7. membr. Ecleg. 26. subsistere possint, ponderabimus.



CORO-



## C O R O N I S.

*An §. Item is qui. 2. Inst. de usu & hab. contrarietur  
l. 4. §. 1. ff. eodem.?*

**M**Os hic quorundam vernaculus est, ut Tribonianum optimè de Jurisprudètia nostra meritum data quasi opera vulgò catadimidandum exponant, ingeniiq; ejus infelicitatem potius incusent, quàm rei difficultatem & prolixitatem perpendant, aut causæ vulneratæ remediū quærant. Ferendi sanè ii forent, nisi nodum etiam in scirpo quærent, quod in proposi. is textibus factitatum à viro quodam legum peritissimo, quis ferè ibit inficias? Quæstio est: An is, cui ædium usus relictus est, alios ad se recipere possit? Respondet Ulpian. Si maritus sit usufructarius, quod tum uxor etiam possit cum ipso habitare, eaq; de re nullum fuisse dubium, d. l. 4. §. 1. & l. 2. §. 1. eod. Ratio certitudinis hujus est, quod maritus est caput familiæ, l. 195. §. 2. & l. seq. de V. S. ita ut ibi sit domicilium matrimonii, ubi maritus habitat, l. 5. de rit. nupt. Quemadmodum igitur caput tanquam principalior pars corporis ad se trahit reliqua membra, l. 44. pr. de relig. & sumpt. fun. ita etiam uxor sequitur maritum. Quid verò Tribonianus noster, an Ulpiano consentit? optimè. Ita enim verba sunt conjungenda: ut ipse tantum habet, & cum uxore, liberisq; suis &c. habitandi jus habeat. Reliqua autem verba: nec hoc jus &c. & vix receptum esse videtur, ut hospitem ei recipere liceat, quasi in parenthesi collocètur, & de hospite recipiendo tantum intelligantur, de hoc enim dubitarum fuisse constat ex d. l. 2. §. 1. Contra mentem igitur Triboniani junguntur ea, quæ erant separanda.

Talem



Talem hystorologiam quidam agnoscunt in l. 23. §. 3. de R. V. & videre licet in l. 3. §. 2. de incēd. Quid verò si uxor sit usuaria? Respondet Jctus, Ergò. Mucium primum concessisse, ut maritus cum ea habitaret, ne separetur matrimonium, l. 12. §. 7. de instr. leg. 1 in f. de lib. exhib. Major ergò fuit ratio in marito usufructuario, quam in uxore, l. 22. ibi, & hoc MAGIS. quib. mod. usufr. & proindè non inconvenienter dixit Tribon. & CONVENIENTER h. c. consequenter, si ad mulierem usus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat. Nos hic finimus, & sententiam dexteriorius judicantis expectamus.





00 A 6440

ULB Halle 3  
002 937 344




VD17


Reho ✓











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

27d

ARUM  
 CARUM  
 S III.

I. A.  
 CONSENSU  
 orum Ordini-  
 à Salanà,  
 E

HRÖTERO,  
 MARCHCO,  
 NABITUR  
 S E N B & N G/  
 SOVIUS.  
 vembr.  
 Æ  
 S WEIDNERI.  
 RISTI

